



AUSPICE CHRISTO! PROOEMIUM.

Memorabilis est Thomæ Fieni, lib. I. de cauteriis cap. I. prolata sententia, medicum in doctrinâ cauteriorum non apprimè versatum, non posse dici omnibus artis medicæ auxiliis sufficienter instructum. Constat enim ex antiquorum medicorum scriptis, quod cauterium admodum utile & necessarium sit remedium, &c. si non præcipuum, saltim inter præcipua numerandum, ut eapropter sacra anchora, ultima spes & ultimum in desperatis refugium fuerit salutatum.

Nobilitata etiam hodiè sunt cauteria tûm laudibus & encomiis veterum; tûm recentiorum usu & experimentis comprobata, non solum *actualia*, sed & *potentialia*. Illa actu ipso & incontinenti in parte, cui applicantur, per ustionem suas exercent vires, tanti aestimata à Coô 8. aph. 6. ut incurabilia putentur, quæ ignis non sanat. *Hec* verò longius desiderant tempus, antequam in actum deducant, quod in potentia eorundem latitat, unde & *virtualia* dicta sunt. Non enim sola ex se vel per se potestatem habent partem uerendi, nisi subjecti illius, cui applicantur, calorem sentiant, à quo animantur.

Actualia variis differunt modis, de quibus ipsi consuluntur autores. *Potentialia* verò, licet sub communi nomine τῶν πυρένων comprehendantur singula, attamen ad sex referuntur classes, suntque *rubificantia*, *vesicantia*, *exsiccantia*, *caustica*, *nafigentia* & *conponitiva*. Aliis quidem placet ad tres ea redigere classes: *vesican-*